



Patrocinium Defunctorum

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

Articulus IV. Peregrinationes Religiosæ defunctos sublevant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

doctrinæ cælestis, à teneris educas in scholis, ac Sodalitatibus, siue quia per cōciones, hortationes, absolutiones Sacramentales eosdem mortuos vitæ frequenter restituīs: non igitur est consentaneum, ut eadē animas subsidio tuo destituas, quando velut infantes nihil quidquam pro se apud Deum fari queunt, aut ullatenus se iuvare in Purgatorii tormentis, ac doloribus infandis.

1031. Sed libet te *Tutelarium Angelorum* *Ordinem* dicere; nam illorum munia exerceas, quā illuminando animas, quā permovendo ad virtutem, quā revocando ad salutem, quā ducendo ad patriam cælestem: neque quisquam Societatis Jesu se germanum filium arbitrari potest nisi Custodem animarum præster. Itaque ut Custodes Genii purgandas animas adeunt, solantur, adjuvant, omni ope operaque tum suā, tum alienā, quam à mortalibus, & immortalibus implorant, iis adsunt; sic tuā interest, ô Societas, clientes animas benevolentia complecti, & omnibus charitatis officiis prosequi, dum ad Patrem æternum, hæreditatemque paternam perveniant.

1032. Quod si feceris, si Communionem *Generalem*, & piorum manium liberationem de more procuraris; O quā amica, faustaque toto Purgatorio acclamatio; quā gratus omnium istic captivorum animus! quanta, ut omnes tui conatus ad gloriam Dei vertant, omnium comprecatio resonabit! quanta denique, dum inde erepti fuerint, omnium aggratulatio toto cœlo, & æternū quidem audietur! Refert Pontus Heuterus in Carolo Quinto; cū Inclytus hic Imperator captum Tunetum victor intraret, servos omnes Christianos, qui viginti millium numerum supersuperabant, liberos statim pronunciasse. Inter hos porro non pauci erant viri nobiles, quorum plerique octo, decem, aut quindecim aureorum millia pro sua libertate frustra obtulerant. Cū ergo in conspectum Cæsar venisset, illi licet Franci, Italiæ, ab ejus corpore ne intentatis quidem minis depelli poterant, ad pedes prosternebant se seminudi, squalidi, verberibus foedati, macerati, ac præ gaudio sui impotentes, ut vel ejus calceos in grati animi signum exosculari liceret. Quare Cæsar ut eorum desiderio satisfaceret, in sede se locans pedes, genua, manusque exosculandas præbuit, vestes singulis, atque aureum unum dedit; quo accepto tanta cum lætitia sese ad sua recipiebant, tantā animi propensione fausta Cæsari, ejusque exercitui precabantur, ut omnibus lacrimas excuterent.

1033. Quis igitur explicet, quis mente capiat quantas, & quā medullitus pii manes habituri sint grates vindicibus suis, filiis tuis, O Societas Jesu! Quis comprehendat, quanta in Purgatorio, quanta in cœlo congratulatione omnia resonent, cū recordantur, quod oblivisci nequeunt, non liberationis viginti millium è Tunetensi captivitate, sed viginti, & amplius Millionum, quos filii tui per Synaxim Generalem, per adhortationes, per suas, & alienas satisfactiones, per Missas, & alia suffragia operā suā illis addictā, longè deterrimā omnium captivitate vindicarint! Profecto ea sola spes solari abunde potest ac debet filios tuos, dum de more, impiorum à dæmone instigatorum maledictis, imò & piorum hominum de se per errorem sinistrè sentientium obrectationibus, criminatationibus, ac susurratationibus lacerantur, & ea, inquam, illa spes te universam ad illud studium in pios manes non modò continuandum, sed & magis accendendum, debet urgere. Et urget, scio; at maximè charitas Christi, ac gloria Numinis, quæ ex eo summa efflorescit. Quamobrem ut in arbore vitæ, unde exorsi sumus, orationem concludamus, perge illā mortales, ac pariter mortuos alere per singulos menses; nec dubita, quin eadem arbor, quæ etiam Cæclites pascit, filios tuos immensis & immortalibus fructibus sui deliciis sit cumulatura.

ARTICULUS IV.

Peregrinationes Religiosæ defunctos sublevant.

1034. NON est dubium, quin peregrinationes ad loca sacra studio pietatis obitæ, Deo gratissimæ sint, atque adeo gratiam ejus ampliorem obeuntibus concilient. Constat enim ipsas à Numine ipso per Moysen præceptas Deuteronomii 16. ubi Israelitæ ter in singulos annos ad tabernaculum, seu templum Domini itare jubentur. Id quod studiosè observatum olim ab Helcanâ, ejusque uxore Annâ, Samuelis matre, imò etiam à Christo, ejusque Immaculata Parente, ac Josepho; ut meritò impietatis nota inuri debeat Calvino, dum quodam loco religiosas peregrinationes impietatis arguit: Jeroboamo hac re non absimilis, quem Josephus Historicus narrat à peregrinatione Hierosolymitanâ Tribus sibi subiectas avocasse, quod diceret Deum ubivis terrarum esse, ac coli posse, quasi peregrinos illos ad ædem Hierosolymitanam

tanam carperet impietatis, quoniam crederent numen, alioqui immensum, illâ æde circumscriptum esse.

1035.
*Ad satisfaciendum
utiles.*

Porro peregrinationes compluribus aliis suffragiorum generibus aptiores esse adlevandas Purgatorii pœnas, hinc manifestum est, quod non modò cum religione cultûve Sanctorum, sed etiam cum non levi molestiâ conjunctæ esse consueverint. Nam & itinerum labores, & pericula à prædonibus, ac cœli injuriis, vim satisfaciendi illis addunt, & præterea manes ipsi subinde Dei nutu, variis molestiis eas infestas reddunt, non nocendi, aut vexandi cupidine (nec enim ea in bonos cadit) sed ut labore, ac dolore aggesto virtus satisfaciendi accrescat. An maligni nequitiam suam, sævitiamque identidem in illis exerceant, incertum. Credibile est eos ex immortalibus in pios manes odio, invidiaque, quòd suas in cœlo sedes occupatum eant, suos insolentes, crudelesque ludos etiam aliquando ludere, ut à peregrinando deterreant. Ut plurimum tamen bonis genii molestias tribuendas esse patet ex eorum, qui apparere, confessione, gratiarumque pro illarum tolerantia actione. Id denique hic notandum, frequenter peregrinationes, aliaque à Spiritibus exigi, quòd ab iisdem, dum vitam agerent, sint promissa, nec impleta: quippe ut intelligamus nec temerè voyenda, nec omittenda esse, & supremum Dominum velle subinde pro suo jure idem ipsum, quod promissum est ac debitum, sibi perfolvi, nec alio, licet non impari contentum esse. Est autem hæc, quam subjicio, historia non minus ad eorum quæ diximus, confirmationem, quam ad Christianorum institutionem idonea.

1036.
Confirmatur ex historia.

Anno salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo, juvenis quidam indole placidâ, bonæque famæ (Laurentius, ei nomen) natus duos & viginti annos in pago Erin, primo ab urbe Valencenensi lapide, ducendis cujusdam villici equis victum sibi parabat. Huic mater à pluribus annis vitâ functa cum se spectandâ exhibuisset, ingens spectri terror fugam in templum persuasit. Ibi ædituo, aliisque narrat, quid sibi eveniret. Sed ecce, & in templo mater, nutuque significat, ut egrediatur, cupere se solam cum solo colloqui. Egresso gravissimè plangit, gravissimas, quas à septemdecim annis, patiebatur, Purgatorii pœnas, quibus absolvi non possit, nisi Beatorum precibus, jejuniisque ac stipe mortalium, sacrificiis item, ac peregrinationibus suorum. Tum filio institit, ut à Joanne Donnaing consanguineo veniam injuriæ à se illi factæ suo nomine peteret; præcepitque, ut exo-

mologesi animam compararet sacræ ad Hallensem Divam peregrinationi causâ suâ instituendæ, quam denique clauderet certo candelarum numero ante Divæ imaginem accenso. Injunxit quoque, nonnullos Valencenenses cives Laurentio ignotos ut rogaret aliquot sacrificia, in suum levamen faciendâ. Cætera Laurentius matri promisit, unum perquam sibi molestum fore ostendit, ab ignotis illis Sacra flagitare, à quibus metus erat ne cum ludibrio exploderetur. Reposuit illa frustra esse hunc timorem. Cum enim Numinis voluntate hæc postularet, ejus esse eam illis ita patefacere, ut statim acquiescerent. Sic instructus Laurentius rem totam cum Curione communicavit, cum viris etiam Religiosis, aliisque doctis: & cum illos Valencenenses adiuisset, sine morâ voti compos factus est. Inde Hallas versus carpit iter, quòd cum sese eo ipso die perventurum speraret, tot se illi objicere viæ impedimenta, ut in suburbis Brennæ (urbs est Hannoniæ) apud pauperem faminam divertere, noctemque ducere coactus sit. nocte concubiâ detractis stragulis, ejus dextram mater arripuit, non procul à pugno, illiusque quatuor digitos brachio interiori intorsit ea vi, ut in brachio cicatrices hærent, & digiti atramenti instar, nigricantes remanerent. Juveni brachium luxatum, perustumque visum est (tantus erat dolor!) certè & gemitus lamentabiles ei expressit, adeò ut hospitam vehementer percussam tenerent. Postero mane festinus prosequitur iter, ingenti alioqui dolore pressus, tandemque coram sacrâ iconè piè obit postulata. Explessè ratus, sacrario pedem effert; sed mater tanto impetu eum repulit, ut gradibus quibusdam afflictus, mireque percussus fuerit. Tum venit in mentem candelarum, minimè, ut jussus erat, accensarum. Quòd peracto Curionem adiit, culpas ei assus est, rem totam enarravit, itaque perfundus omnibus, quæ mater ei mandarât, tranquillè ad pagum Erin, unde discesserat, revertit. Paucis post reditum diebus tertium se illi stitit mater, dixitque amicorum precibus, nominatimque certi cujuspiam (cujus nomen prodere semper recusavit Laurentius) pœnam quadraginta annorum, cui erat adjudicata, ad triduanam esse redactam. Quâ persolutâ non commissuram se, quin ei sortem suam renuntiaret, ultimumque salutaret, fuere, qui suspecta haberent hæc visa, geniumque eorum authorem. Suasere illi, ut dum rediret Symbolum Apostolorum integrè, distincteque pronuntiare juberetur. Rediit porrò triduo jam exacto circa mediam noctem,

tem, præviâ diei Veneris, cùm Lauren-
tius comitantibus Curione, Ædituo, non-
nullisque pagi incolis precationi operam
daret, comparuit autem cinâta quatuor
candidatis, ac splendidis juvenibus, indica-
vitque latissima Mater filio suo, se nunc de-
mum rectâ cœlum petere. Asservatur hæc
historia in manuscripto Collegii Societatis
Jesu Montibus, unde R. P. Maillart in sua
D. V. Hallensi mutuatus est, atque ego ex
illo.

1037. Præclarum quoque hujus generis exem-
plum profert Bredenbachius Collat. salu-
tar. lib. 8. c. 40. prout illud retulit vir qui-
dam primarius quadam epistolâ, quam
Bredenbachii verbis hic exscribo. Res-
ponsum abs te, foror, ad postremas meas
litteras avidè expectans, prætermittere nō
potui, quin te stupendi miraculi, quod Syl-
væ-Ducis his diebus contigit in ædibus
Dominae Vliebécensis, quamprimum cer-
torem facerem, præsertim cùm id negotiū
mihi ab aliis demandatum sit. Historia,
nec fabula est, nec somnium, sed revera
contigit præterlapso die 23. Novembris;
quo nimirum frater noster, maritus tuus,
eadem formâ, & vestibus, quibus, cùm
postremò Sylvæ-Ducis esset, indutus fuit,
nigro videlicet pallio, holosericis caligis,
aperto capite, junctis manibus apparuit di-
versis & locis, & temporibus ancillæ illius,
cuius supra mentionem fecimus, familiæ;
randem removens pallium, horrendam
flammam ignis, & oculis quasi flammam &
lumen emittens, ostendit. Quod ancilla
videns præ timore in defectum animi inci-
dit. filiæ familias, & earum amita, quæ præ-
fontes aderant, cùm ex famulâ patrem suum
esse intelligerent, unice ab illâ contende-
runt, ut hoc timore postposito, eum à
Deone veniret, an aliunde, & an humanâ
ope iuvare queat, rogaret. Illa autem præ
timore non potuit. Consultuit super hac
re D. Helrium, & Ecclesiæ Pastorem.
Unus rogandum esse quid peteret, abitra-
batur, alii in contrariâ erant opinione, quod
somnia, & nugæ putarentur: meâ senten-
tia rogandum erat, ad quid venisset, auxi-
liumque promittendum, si legitimis modis
præstari posset. Nobis de his rebus delibe-
rantibus ecce rursus in formâ, qua prius,
scilicet non horrendâ apparuit, dicens,
quare non iuvas me? Quid times? nihil
tibi mali continget. Illa respondit: non
habeo quidquam virium ob summam tre-
pidationem. Hæc feriâ secundâ primâ lu-
ce contigerunt. Apparuit deinde ad no-
nam, & decimam, nihil dicens: verum gra-
viter suspiria ducens, ac demum horâ eius-
dem diei secundâ dixit. Quid? non iuvas

me? Illa dixit, parata sum iuvare omnibus
modis, quibus per Catholicam Ecclesiam
licet. Respondit ille: hoc est quod hæste-
nus expectavi, & eductam è cubiculo in
atrium rogavit, ut Sacra, quæ pro defunctis
fieri consueverunt, tria celebrari curaret,
atque ut se Dirschotum conferens, istuc ad
altare S. Crucis semisestertium offerret,
quod ipse cùm infirmus aliquando promi-
sisset se oblaturum, neglexerat. Consola-
tus deinde eam petiit, ut omnem timorem
abjiceret, quoniam ipse illam comitaretur.
Petens præterea, ut filiabus, ac fratribus
diceret, ut pro se orare non desisterent.
feriâ tertiâ ancilla Dirschotum abiit ad im-
plendum ejus desiderium. Ille verò, uti
promiserat, numquam illam reliquit, imò
& prævit eam in domum usque ad cubi-
culum, ac deinde in templum ad altare
S. Crucis. Ibi uterque flexis poplitibus
oravit. Illa nesciens ubi oblationem suam
relinqueret, ducta est ab eo ad gazophyla-
cium, sive receptaculum oblationum, cui
eamdem imposuit. feriâ sextâ illa Sylvam-
Ducis rediit, nullum cum eo miscens ser-
monem, quamquam sæpe junctis manibus
se ostenderet. Die sabbati manè eam de
somno excitavit, præcepitque ut induta
vestibus in æde D. Joannis ante V. Sacra-
mentum aliquid offerret; ipse enim hoc
aliquando, cùm Sylvæ-Ducis inter cives
pacis componendæ gratiâ esset, voverat.
Quo peracto rediit circiter medium quar-
tæ ejusdem diei, & excitavit eam, dicens:
festina non diu hic ero, moxque præcessit
in atrium, in quo summa fuit claritas, &
petivit, ut ipsa pro Missis celebratis exol-
veret in purâ eleëmofynâ. Ad hæc man-
davit fratri dici, ut in fide Catholicâ per-
severaret constans, qualem eum esse non
dubitabat quidem, monere se tamen id im-
primis, ajebar, quod vita mortalium variis
& rerum vicissitudinibus, & fluctuationi-
bus esset exposita, sicut ipse per experien-
tiam didicisset, dum aliquando de veritate
Religionis Catholicæ dubitaret, quod ipsi
gravissimæ pœnæ causa, & principium fue-
rat. Idem & filiabus suis dici curavit, ut-
que amita suæ vestigiis semper insisterent,
monens insuper, ut sine intermissione pro
fidelibus defunctis orarent. Si enim senti-
remus, in quibus essent pœnis, quantum-
que eisdem viventium fidelium preces
profint, ne choram, imò nec momentum
quidem, sine memoria eorum viveremus.
Subjunxit quoque pœnarum suarum tem-
pus fuisse quinque annorum, sed qua-
tuor annorum, totidemque dierum se per
amicorum preces evasisse, jamque in per-
petuum esse salvatum; gratias agens foro-

T t

ribus

ribus quibusdam Bruxellensibus pro earum precibus; monebat autem Dominam Ulierdensem, ut testamentum suum incolumis faceret, ne in articulo mortis eo condendo occuparetur, sed soli Deo tum vacare posset. Petivit insuper à fratre, uxori ut nuntiaret ut cum filiis suis omnem excolet concordiam, ne & illi aliquando contingat, quod & sibi. Rogatus de statu aliquorum defunctorum, respondit se nihil aperire posse, quia à Deo sibi non esset concessum, hoc tamen ut pro talibus sine intermissione orarent. Demum actis tam ancillæ, quàm omnibus aliis, qui pro se oraverant, gratias, suam vicissim operam illis promittens, cum magno splendore junctis manibus in cælum perpetuò beatus ferebatur. Hæc Brendebachius, sanè ad mores Christianorum pietate informandos accommodata.

1038. Denique peregrinatio ad S. Levini in
Peregrinatio ad S. Levini.
Arthesiæ pagum, qui Marqué dicitur, nec longè distat à Renty, celebris est ob suppetias defunctis sapiùs latas. Porro dum apparet spiritus, & hanc peregrinationem exigit, illicò properandum est, & Missa in æde S. Levini istic facienda. Et longi tēporis experiētiā compertum est, quod sub jicio. Dum peregrinus ad crucem accedit, quæ quartâ leucæ parte ab æde dissita est, derepente tantopere se premi sentit, ut toto corpore sudorem emittat, cum periculo lapsus ob debilitatem. Quæ gravitas eò usque persistit, dum munus suum Divo obtulerit. Tum verò alacritas redit, ac facilitas ad sua remeandi. Nonnumquam obtingit, ut ab ipso itineris ac peregrinationis exordio ea gravitas peregrinum affligat, quò usque ad pagum ipsum provenerit, quo tempore spiritus hominem premere cessat. Subinde sudario involutus eun-ri ad ædem præit, ac genibus flexis sacrificio interest, dum postrema benedictio populo adstanti impertiatur. Ac tum temporis veniam à peregrino pro oppressione illa flagitat, gratiasque agit pro officio charitatis. Quæ omnia jurati plures peregrini post sumptam Synaxim affirmavere, feruntque hoc eodem officio piis manibus N. Belleri Typographi Audomarensis, ac Bibliopolæ, antehæc postrema cum Gallis bello præstito, cum omnibus qui in templo illo præsentibus aderant, atque orabant, gratias rependisse. P. le Clerc, in vita ejusdem sancti.

ARTICULUS V.

De variis precum pro defunctis generibus.

PRIMAS iniis merentur orationes, quæ ab Ecclesia, atque adeò Spiritu Sancto, cujus afflatu moveretur, ac regitur, sunt institutæ. Propterea dum Venerabilis P. Petrus Faber, primus è Sancti Ignatii sociis, vir admodum pius, pro defunctis orabat, quod frequenter faciebat, ejusmodi preces usurpabat. Porro officium defunctorum, ac septem Psalmi pœnitentiales, nominatimque Psalmus de profundis, longo jam usu ab Ecclesia frequentantur, de quibus pauca pro instituto meo nunc dicenda.

1039.
Orationes
Ecclesiæ.

§. I.

De officio defunctorum.

OFFICIUM defunctorum jam inde ab Apostolorum tempore ab Ecclesia usurpatum esse colligitur ex Dionysio Arcopagita de Ecclesiæ Hierar. cap. 7. Ab Origene auctum fuisse testis est Augustinus in Enchiridio. Quis verò author sit illius, prout nunc extat, incertum: Aliqui Augustino, aliqui Amalario tribuunt. Responsoria composuisse traditur Mauritius Episcopus Parisiensis, quem obiisse anno salutis 1196. testis est Alcuinus. Nonnullas orationes addidit Pius V. Nonnullas Clemens VIII. vide de his Gavantum, & alios.

1040.
Officium
defunctorum
anti-
quum.

Porro Carthusiani quotidie illud officium pariter concinunt. S. Antoninus, etiam Archiepiscopus, quot diebus idem recitabat. Idem curæ erat Melchiori Mosticensi ordinis Prædicatorum: tametsi acriter, perpetimque quæ privatâ, quæ publicâ autoritate in hæreticos Poloniæ pugnans miras illi Regno opportunitates afferret. Idem faciebat quidam Laurentius Rattus, musicus Romæ insignis, de quo ita narrat Janus Nicius. Anno Domini 1604. mense Decembri, cum annos natus 14. etiam tum esset in contubernio Vincentii avunculi, pridie diei natalis Deiparæ Virginis summo mane missus est ad furnarium, ut panes afferret in prandium. Exe-
unt ab æde sacrâ ejusdem Virginis, quam vocant in montibus, quò orandi causâ intraverat, fit obviam formâ egregiâ juvenis, qui, *Tibi Laurenti,* inquit, *omissis*
ceteris

1041.
Officium
defunctorum
additum.